

*tizati set obseruant mores* menti. quia quando eorum uxores sunt pregnantes ipsas non tangunt donec peperierint & a tempore quo partum fecerint usque ad quadragessimam diem ipsas non tangunt. set a quadragessima die in antea tangunt eas ad uele eorum. set Jn ista insula non permanent eorum uxores. ymo comorantur in alia insula que nun- 94<sup>r</sup> cupatur insula feminina. Et homines pergunt ad hanc insulam mulierum. & ibi tribus mensibus permanent videlicet in mensibus martij/ aprilis & madij Jn istis quidem tribus mensibus uadunt homines ad hanc insulam ad permanendum cum eorum uxoribus. & de ipsis solatium capiunt. Jn capite uero trium mensium ad eorum insulam reuertuntur. profectum suum ibidem alijs nouem mensibus procurantes. Jn ista quidem insula ambrum inuenitur pulcrum & bonum. viuunt quidem de lacte & riso & carnibus & sunt boni pescatores Nam capiuntur in hac insula multi boni pisces & de ipsis tot capiunt quod multos faciunt desiccari. ita quod habent ad sufficientiam ex ipsis per totum annum. & etiam de ipsis alijs gentibus uendunt. non habent dominum nisi quemdam episcopum qui est subditus archiepiscopo de scutra. & loquela per se habent. Et ab ista insula quoisque ad insulam in qua permanent eorum uxores sunt circa xxx<sup>ta</sup> miliaria Et ideo non permanent cum eorum uxoribus toto anno secundum quod dicunt quia uiuere non posent. Et filios qui nascuntur nutriunt uxores in suis insulis. verum est quod puer masculus quando est duodecim annorum mititur ad patrem in insulam suam. Et hij sunt mores & consuetudines istarum duarum insularum verum est quod quando homines ueniunt ad insulas mulierum ipsi serunt blada. & tunc mulieres ipsa laborant & coligunt. colligunt etiam mulieres| fructus qui 94<sup>v</sup> de multis maneriebus ibi nascuntur alia uero ibi dicenda non sunt quare procedentes ulterius dicemus de insula Scutra :/

*Hic sunt xristiani bapti-  
cati*

**Q**uando disceditur ab istis duabus insulis supradictis & itur circa quingenta miliaria uersus meridiem tunc inuenitur insula De scutra. Et isti de hac insula sunt xpistiani baptiçati & habent archiepiscopum inuenitur in hac Jnsula ambrum in magna quantitate. quod reperitur in uentre balene\* piscis & in cauodoio. sunt itaque duo maiores pisces qui sunt in mari. Et dicemus uobis modum per quem capitur in partibus illis balena. Jpsi habent multum de pisce tunno quem solum pro infrascripta causa capiunt pinguissimus est tunnus quem trucidunt in frustra. & ponunt in magnis uasis siue mastelis & imponunt salem & multam faciunt salamoram. hoc facto erunt forte xij qui accipient unam nauiculam. & imponentes istum piscem cum tota salamora siue brodio sallito ipsius piscis intrabunt in mare & tunc habebunt certa residua de pecijs laniatis uel alijs rebus spretis. que residua ligata in uno fasse madefacient in predicta salamora

\* In the original ambrum is followed by hcam with the *b* under-dotted for omission. As there is a similar dot below the *b* of balene perhaps this also should be omitted. R reads *balene* without *piscis*.